



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Homo Christianus In Sua Lege Institutus. Sive Discursus Morales**

Quibus Totum Hominis Christiani Officium Explicatur; Quidque is fugere,  
quid agere debeat, quam exactissimè traditur

**Segneri, Paolo**

**Augustæ Vindelicorum, Anno M.DCCXII.**

**VD18 90637038**

Discursus XXVI. Damnatur Avaritia. Ad Avaritiam, quæ malorum omnium Radix appellatur, vitandam impellere nos debent tres ejus funestissimæ Proprietates; quod sit occulta, quod fœcunda, quod semper ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51633](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-51633)

## DISCURSUS XXVI.

## De Turpitudine Avaritia.

I. **A**ulus Apostolus verbis, magnum quiddam significans, pecuniae cupiditatem omnium malorum radicem appellavit. *Radix omnium malorum est Cupiditas.* Hæc enim cupiditas aut jam parturit, aut quasi in virtute & radice omnia mala continet, illico partura, quamprimum nacta fuerit occasionem. Considerandum nunc est, tres in omni radice præcipuas esse conditiones: In primis quod sit occulta; dein quod sit fœcunda: ac denique quod bene in terra firmata; atque ideo evelli difficulter possit. Quæ tres propriae clare nobis Avaritiae naturam ob oculos ponunt, quæ in ima humani pectoris se demittit; dein pascua omni vicio subministrat; ac demum non nisi summa cum difficultate evellitur, saltem cum ipsis etiam fibris. Id ipsum hodie videamus. Nam si ad exsiccandas annosas radices melius nihil occurrit, quam easdem effodere, confido idipsum me in cordibus vestris effecturum, & hanc pestiferam radicem atdam redditurum, cum eam totam disceoperuero, & Soli veritatis exposuero.

II. Avaritia, ait Propheta, ingens

Lyceum aperit, Lyceum tam vastum, quam amplius est orbis terrarum universus; adeò frequentatum, ut omnes fere homines suos numeret Auditores & discipulos. Et quamvis ne unam quidem diem, quam ab hoc studio vaccent, concedat, atrentissimos tamen habet omnes: usque adeò prælections ijs grata sunt, ex quibus nullo non die novos modos addiscunt, quibus lucra sua promoveant. *Amino. Jerom. re usque ad majorem omnes Avaritia studere.* Neque velim vos credere, stoliditatem quibusdam ingenij obesse, quod minus proficiant, nam illi ipsi, qui ad alia negotia proflus stupidii ac tardii habentur, quibus applicantur, non nisi merum ingenium sunt, cum perversæ huic Magistræ aures accommodant. Unde id faciunt inter homines, quod Polypus inter pisces, qui cum aliâs trunci instar sit stupidus, cum ad rapiendum deveniretur, rotus est manus, rotus ingenium, & sagacitas. De salute animæ sermonem instituite; nihil capient penitus, stipitum instar assidebunt. De lucro verba facite, non nisi Doctores experiemini; diceretis, non esse illos ipsos, sed rotos alios; nam cum de accumulandis bonis agitur, quilibet eorum est loco multorum: à fructu frumenti veni *& olei sui multiplicati* sunt: at cum de salute sermo infer-

*Eul. 3.* 19.  
Intertur, ne dimidium quidem hominem referunt : nihil habet homo iumento amplius. Et tamen, quantumcunque Avaritiae Academia tam numerosos habeat Auditores, quis nihilominus est, qui velit confiteri, quod eam Magistrum utatur? Nemo non jactat, se longe ab ea possum, nemo non sibi ipsi id persuaderet, & ipsi sibi suam pestem abscondit, ut adeo prima haec sit Avaritiae conditio, quam radicis in star occulta habetur. *Radix omnium malorum est cupiditas.*

*III.* Sed ne hic loquendi modus vobis amplificatio aliqua videatur, oportet Avaritiam in duas species distinguere; unam quidem in affectu, alteram effectu; unam in recinendo, alteram in rapiendo; unam Liberalitati oppositam, alteram Justitiae. Utramque hanc pestem in cor humanum radices suas dilatasse dieo, & tamen in eodem velut sepultas latere. *Frutex peccati radicabitur in illis, & non intelligetur.*

*Eul. 3.* 30.  
*IV.* Prima itaque occultae Cupiditatis species Justitiae opponitur, & consistit in auferendo re ipsa bona aliorum, quin deinde id ut malum apprehendant. Ethic mihi occurruunt magno meo cum dolore quam plurimi Pauperes, quos non possum non erimini arguere, qui pro eo, quod brachiorum suorum labore atere se possent sustentare, solum manus suas extendunt ad clependū ubi, ubi occasiose obtulerit; & postmodum occultam radicem hanc in cordibus suis sovent obtentu necessitatis, quam premanunt, sed non ita est

Quoties enim possent magnum illud damnum avertire, quod Hortis, Vinea, Oliveris, ac Sylvis inferunt? Possent ligna arida colligere; ipsi autem videntes arbores juxta vias succidunt. Ramis & frondibus esse contenti possent, ipsi verò trunco ad usque terram prosternunt. Possent nonnullos fructus humaniter carpere; ipsi verò omnes sine discrimine pessundant. Quod si etiam hujusce generis homines, operis adlecti, agrum colant, & postmodum, cum ad accipendam mercedem deveniunt, per errorem plus, quam ijs competat, accipiunt, ubi aliquem invenientis, qui Domino ita erranti nummum unum restituat? Imò gratissimum hoc ijs accedit, & sortem sibi faustam gratulantur, & tanquam rem suam expendunt. Demus, quod error hujusmodi rem omnino exiguam concernat: non exiguam tamen cupiditatem in corde delirescentem, & suo tempore prodituram manifestat: nam, etiam si hic ipse error Summam maiorem ijs attulisset, eadem omnia in ratione, animo quin etiam hilariore, illam acceptassent.

*V.* Verum dum Pauperes tam manifestarum arguo injustitiam, non lim vos cogitare, ô Divites, quod vos excusare intendam. Imò quis fraudes explicet, quas Opulenti longè potentius exequuntur, licet in ijs longè minus sint tolerabiles, quod non ex necessitate, sed ex ipsa procedente abundantia Prodit quasi ex adipe iniquitas eorum. Vulgo creditur, quod Egeni sua divitibus sub-

## DISCURSUS VIGESIMIIS SEXTUS.

364

Subtrahant ac furentur : ego vero  
opinionis longè diversæ essem ; quia  
si res justâ lance expendantur, compe-  
riemus, multò plus illud esse, quod  
Divites Pauperibus, quam quod pau-  
peres Divitibus auferunt. Certe  
nusquam invenio, quod Sacra Pagi-  
nae in Egenos invehantur, quod Divi-  
tibus liberè sua rapiant, saepius au-  
tem è converso. Negotium non ha-

Eccles. 13.  
24. beas cum ditori te, ait Ecclesiasticus,  
fier enim tibi, quod vasiluceo, cùm  
æri alliditur. Tanquam debiliorem  
affliger, dum caput frangat. Ditori  
te ne socius fueris. Quid communica-  
bit cacabus ad ollam & quando enim se  
colliserint, confrungeatur. Et alio loco

Eccles. 13.  
25. ait : Venatio Leonis Onager in eremo;  
sic & pascua divitum sunt pauperes.

Mille fraudibus Dives obrueri paupe-  
rem : Dives injustè egit, & fremet,  
Pauper autem Iesus tacebit. Quibus,  
aliisque loquendi formulæ Spiritus  
Sanctus modum agendi describit,  
quo Opulenti in egenos grassantur, &  
propter quas ita singillatim enumera-  
tas violentias Pauperem præmonet,  
ut sibi à divite caveat ; utpote à quo  
nunquam nisi afflictus discessurus sit ;  
nunquam non spoliatus, & ad usque  
medullas exhaustus : denique etiam

Eccles. 13.  
7. 8. adhuc deridendus ac explodendus :  
supplantabit te &c. & in novissimo de-  
riderebit te. Indagate, quæso, an Spi-  
ritus Sanctus ullo in loco similem mo-  
dum usurpet, quo iniquitatem di-  
scooperiat, quam Divites à Pauperi-  
bus sustinent, atque ad illos dicat ;  
ut à Pauperibus sibi caveant, uti pau-  
perem exhortatur, ut sibi caveat ab

Opulento ? Indicio proinde est, sa-  
pius contingere, ut opulenti egenos,  
quam hi illo sexplient ; & si alter-  
utri rapacium nomine compellandi  
sunt, quæ unquam proportio inve-  
niatur inter rapinas hominis infirmi  
ac debilis, & robusti ac vegeti Apes,  
cùm ad mellificandum in vitidaria  
excurrunt, si fures sunt, certè inno-  
centes sunt, quia flores, in quos inci-  
dunt, succo suo ita exscoliant, ut in-  
de flores nihil damni accipiant ; si  
tamen eas fortè condemnare volumus,  
videamus non nihil, quam longè gra-  
vioris argui ursus debeat, quando vel  
semel prodit suo illo è spelæo ad no-  
cendum Apibus. Ursus cùm in favo in-  
cidit, totum ei se immergit, & nulla  
habitatione strepitus aut clamoris,  
ipsorumque adeò aculeoram, quibus  
misella bestiolæ adjustam retum lu-  
rum defensionem catervatim in eum  
involant, uno momento multorum  
mensium labores pessimadat. Imago  
hæc est illius tyrannidis, quam multi  
Domini, heu nimis crudelis in mi-  
seros ac pauperes suos subditos, in  
millenis eventibus exercent, præcipue  
autem, quando rebus, quas ad con-  
servandam vitam necessarias submi-  
nistrant, immane pretium imponunt ;  
illas autem, quas vicissim ipsi à subdi-  
tis recipiunt, longè minimo æsti-  
mant. Instar Ursi in medios subdi-  
torum suorum labores effrus quantum  
doque Dominus irruit, & donec om-  
nes ad ultimam usque guttam eorum  
sudores exsuxerit, eosq; omnibus sub-  
sidij destitutos viderit, non discedit.  
Interim Pauperibus objicitur, turtis

illos

*Rom. 3.  
21.* illos deditos ; nemo , nisi Pauperes Dominis suis furum nomine veniant ; hi sunt , qui regionem depraedantur , possessiones invadunt , omnia secum mala invehunt : adeò suā ipsi cupiditate excēcantur Divites Avati , & radix illa cupiditatis in fundo cordis abconditur , quam in alijs mille modis detestantur . *Qui præditas non fūrandum furaris.*

*Lugo de  
luct &  
Iur. t. 2.  
d. 25 n.  
39. Mot  
lin. 2  
310.* VI. Nec mitius egeniā mercatoribus habentur , qui , cūm videant merces suas paratā pecunia non exsolvi , insigne sibi privilegium fingunt , quo res omnes ad majus pretium extollant , quas pauperibus credunt . Defendunt quidem se , ac excusant speciosis illis titulis , lucri cessantiis & darani emergentis ; nesciortamen , an hi tituli in omnibus eorum contractibus cum veritate subsistant ; putoque , non tard illis prouincio servire , quo illos fructus arripiant , quos manibus apprehenderet non valerent ; puto eos mercium , quas aliquando soluturis credunt , non tantū non facere ja-  
turam , sed lucrum ; cūm alia ratio-  
ne ( ob eum qui est , p̄sens pecuniae defectum ) vix aliquid venderent , si nihil nisi numeratā pecunia vellent permutare : dubiro etiam / ne se plus periculum hoc magnum , ab ipsis ap-  
prehensum , verum non sit , quo ad tempus præstitorum debita non ex-  
pangenda meiuunt cūm non tard Vade requirant ; imò Vade non con-  
tent , etiam pignus exposcent ; & ta-  
men adhuc titulo periculi , quod sub-  
eant solutionis nunquam obtinendæ .  
merces non tantū non infimo , sed ne-

fūmo quidem venales proponunt , ul-  
tra hoc eas taxando . Interim Pau-  
perum protectores se venditant , di-  
cūntque , quod si absque ipsis esset , Egeni quā plurimi fame emoti con-  
spicerentur . Ita qui Elephants fos-  
sas struant ; eosque oppidō fessos & ex-  
casū semineces , magno labore inde  
extrahunt , medios inter conatus co-  
ram ijs tanquam gratos liberatores  
se jactant , & ad sua miseram bestiam  
per omnem vitam , servitia cogant ,  
perinde ac h̄eam ab ipsis dono acce-  
pserit . Sed , avertat Deus , ne uo-  
quam la cuiusquam hominis cor Avar-  
itia surrepat , utpote quæ ita illum  
excēsat , ut minus etiam , quā bellua  
aliqua videat . Asina avarissimi illius  
Prophetæ Angelum in via occurren-  
tem , ac evaginato sibi gladio minas  
intentantem videt , ipse autem Pro-  
pheta non videt . Unde consilium  
omnibus Mercatoribus perquam fa-  
lelfare hodie proponere velim , ut in  
suis contractibus , antequam quid-  
quam decernant , Docti cujuspam  
Confessarij mentem exquirant , quid  
hac illāve in re sibi liceat , quid non ?  
quia quanto est facilis , cibum non  
deglutire , quām , ubi abstuleris , resti-  
tuere . Deinde s̄pē ac multum ne-  
gotiari , & negotiando nullum alteri  
damnum conciere , admodum arduum  
ac difficile est : *Si Dives fueris , non  
eris immunis à delitto :* ait Spiritus  
Sanctus . Quod si de possidente in-  
Ecli. 14.  
10.

Z z 3 telli-

telligitur, multò magis de acquirente intelligendum est; utpote qui errori magis obnoxius est; ob quam causam, ne in errorem inducatur, oportet, ut consilium ab alijs exigitat. In omni contracta inter emptionem & venditionem peccatum quasi medium interjacet, instar pali, qui inter duos muros mediis claudi & conjungi

*Eccles. 26.  
19.*

debet: sicut in medio compaginis lapidum palus figitur, dicit Sapiens, est & inter medium venditionis & emptionis angustiabitur peccatum. Quasi Injustitia inter duos istos terminos in eas sit angustias redacta, ut, etiam cum velit, evadere libera non possit. Hinc fortiter ab Empatore detinetur, illinc à Venditore, ita ut non minus ægrè inde evadat, quam palus inter duos mutos inferrus. Empor Lu-  
erum querit illicitum, vel in parcita-  
te pretij oblati, aut in moneta infra  
justum valore. Venditor mercium  
suarum defectus occultat, vel, etiam  
interrogatus, tam non exponit, ut  
etiam datā operā officinas multū  
tenebris asellat, intra quartum am-  
biguum lucem, dolos suos &  
mercium defectus magis abscondat.  
*Inter medium venditionis & emptionis  
angustiabitur peccatum.* Peccatum in  
illis tenebris habet se sicut in loco, ubi  
nullas sui species emittere potest, unde  
etiam occultum remanet. Certus qui-  
dam Dives S. Launomaro Abbatii  
quadraginta nummos dono misit,  
quos illico Sanctus Altari impositos,  
cum singulos sollicita manu versasset,  
ex omni numero, triginta novem illi-  
co remisit, recente uno solo, cum di-

*Sur. in  
Vita.*

sto: solum istum justo lucro, res-  
quos omnes iniquo comparatos esse.  
O si artem calteretis, quā bona ve-  
stra ab alienis segregaretis, ut lolium  
à tritico separatur, fieri posset, ut in  
quorundam negotiantum domibus  
patrum sinceri remaneret, omnia ce-  
tera velut per cribrum excuterentur!  
Saltem injuriam nemo illis facit, qui  
suspicionem non levem hac in parte  
fovet; fermè ut illis nulla sit injuria,  
qui ex loco peste infecto veniunt,  
etiam si quis de eorum sanitate ambi-  
gat, vel etiam quadraginta dierum in-  
tervallo ab alio um illos commercio at-  
teat. Ideo Thebani veteres ad Ma-  
gistratum Negotiatorum quosvis non  
admittebant, nisi decem annis ante  
negotiationi nuncium remisissent; ra-  
ti, tanto omnino tempore fore opus,  
ut, qui negociationibus vacasset, ava-  
ritiae se suspicione liberaret. In quo-  
rum confirmationem adduci illud Ec-  
clesiastici posset: *Difficile exhi-  
bitur Negocians à negligentia.* Et verò tam  
*Eccles. 16.  
3. P. 44.*

in veterata est negotiantum consue-  
tudo, negligenter investigando quid  
justum, quo non justum sit, ut me-  
ritò, antequam Justitiae bilanx eorum  
manibus coimitatur, ut alieno bono  
illā utantur, oporteat eis satis tem-  
poris concedere, ad tam pravam af-  
faetudinem deditendum. Quæ ip-  
sa negligentia quid aliud nobis de-  
monstrat, nisi quod magna pars in-  
quitatum oculos adeò incurios effu-  
giat?

VII. Quod si occulta est avaritiae  
pestis, etiam quando foris actione  
aliqua effectuque se prodit, nemo non  
facile

Facile intelliget, quād magis illa, quam se condit in pectore, & ultra affectiones animi non proslit, futura sic incogita? In multitudo negotiacionis tua repletas sunt interiora tua iniquitate, ait Ezechiel Propheta. Quis unquam conscientia sibi dicit nimium pecuniatum amorem? Inò prudentia, vel summa quandoque sapientiam illum existimant. *Sapiens sibi videotur vir dives*: verba sunt Sancti Spiritus. Qui magno affectu bona sua possidet, non prudentem modò, sed & sapientem se credit; non tantum dicit, remoris etiam & longè adhuc positis familiæ necessitatibus debere prospici, sed cuilibet incumbere obligationem, quā rerum suarum rationem habeat: Unde protantillo terræ pugillo, quantum formica pauculis horis circumiret, mille litibus non nulli se implicant, alienationes animorum mille concipiunt, & amatitudines animi, ac ferro se parant defendere non minùs, quām si ab hoste quovis infensissimo ad necem quærentur. *Sapiens sibi videotur Vir dives*: Et tamen Spiritus S. longè aliam de filio sententiam fert, cùm dicit: *Nihil iniquius, quām amare pecuniam*. Paulò majorem inordinatus ille affectus, quem in retinenda aut augenda pecunia soveris, timorem vobis incurere debet; nimis enim quām multum pravi & scelerati in eo latere potest. Quoties Servator noster acerbè in Phariseos invehitur, non quod fures sint, qui aliena rapiant, sed quod avari, qui plus æquo etiam sua ament? Quid igitur de Christianis dicere o-

portebit, quibus fidei Lumine bona maxima ac præstantissima, quia Divina, innotescunt? Si quis digitis con- L. querit  
junctis nasatur, ajunt Leges, non vide- tur sanus esse, si incommodatur ad quis di- usum manus: M. hi credite, quod, eit ff. e.  
cūm conscientia sanâ & sincerâ vale-  
re vos arbitramini, si tantum nul-  
lam domi vestræ rem alienam hære-  
re judicatis, plurimum in ferendo de  
vobis metipls judicio fallamini. Di-  
gitis illi conjuncti magni loco malis ha-  
bentur; ingens ille nummorum  
amor, manus illæ in retinendis facul-  
taibus compressæ, inque erogandis  
illiberales, magnam in vobis arguant  
Infirmitatem, & vestrum è honorum  
Christianorum Albo nomen expun-  
gunt. Non solum avarus est, qui ra. Serm.  
pit aliena, sed qui cupidè servat sua, 196. de  
ait S. Augustinus. Qui secus crede- temp.  
ret, asserere velle videretur, neminē in  
sua cella vinaria, quantumcunq; bibe-  
ret, aut inibi hæret, posse inebriari.

## II.

VIII. Verum magis adhuc in lu-  
cem protrahamus occultæ hujus radí-  
cis malignitatem, &c, quāmea malorum  
fœcunda sit mater, exponamus:  
*Radix omnium malorum est cupiditas*; Enimvero, ut prodigose fœcunda  
argui possit, satis est, dicere, esse sum-  
mè occultam: cùm & Radix, quod  
altius in terram se insinuat, tanto  
etiam frondosiores crebriorésque ra-  
mos in aures exrollat. *Mittet radi- Is. 17.  
cem deorsum, & faciet fructum sursum.*  
Ec certè quis dicendo assequatur, quot  
quantaque mala nullo non die ab  
Avaritia pullulent? dicam: omnia

Ita

*Ita est, repeto, ac cum S. Jobo pronuncio, ideo in Mundo malos repetiti, quia reperiuntur divitiae: Quare impij vivunt? Ratiorem audire: Sublevati sunt, confortarique divitiae. Habere quidquid commodum gratumque est, taliæ instar ijs servit, quam ad omnem malitiam scandant, & instar fulcri est, quo nitantur: Sublevati sunt, confortarique divitiae. Quid Hederâ fieret, si murum non haberet, quo sustineretur & illico in terram concideret, & a viatoribus conculeata exarceretur. Ita, cum mali superbia inumescunt ac eriguntur, cum se nimia rerum abundantia dilatant, contemptis hominibus discunt nec DEI porro ultam rationem habere, non aliunde id sit, quam ex adjumentis, quæ rerum copia subministrat, & illo exsuceo, quem opes pro arbitrio, & cum libuerit, abunde suppeditant.*

*Ecclesiast. 34. 10.*  
IX. Atque ita rem se habere, gemina Avaritia consideratione palam fit: primò si eam contemplemur ut suorummet actuum effectrix est: secundò prout alijs animi Passionibus servit, ut suos actus producant. Primo modo considerata, sexcentorum radix malorum est. Quis enim satis explicet omnes illas injusticias, quas in rebus vel acquirendis, vel conservandis, vel augendis Avarus committit? Qui in multis factus est, multiplicat malitiam. Qui varijs negotijs distinxerit, multis curis & contractibus implicatur, non nisi difficillime evadet, quin a capite ad calcem iniquitatibus obsideatur. Maximè, si his

peccatis etiam illa accedant, quorum Avarus ab alijs committendorum causam eadem ex causa præberet. Non nisi unum hominem Opulentum animis vestris subjicit, qui largitionum ac speciosarum commendationum ope tandem obrinet, ut His quæplam in longum protrahatur, ejusque decisiō impediatur. Quis peccatorum numerum inibit, quorum hac sua violentia est causa? Quoties paupercula illa vidua ei sit obviā, mille in abeuntē imprecations coniicit; obverso illi ergo ignominiosè canem appellat, Turcam, Proditorem, & ipso Judâ familiâ lux noctentiorē detestatur. Hoc quasi laetè familiam suam teneram adhuc pascit: quæ etiam ipsa exemplo afflictæ Matris spiritu extialis vindictæ concitatur, nec æquis aspicere deinceps oculis potest inustum oppressorem, nec quidquam ferè aliud in ore habet frequentius, quam injurias sibi ab illo dilire illatas. Ex quo videre est, quam copiosam messem à maledicta hac Avaritiae radice malignus spiritus colligat; quam ille litigatoris in pectore plantavit, in corde Viduæ aluit, & in animis oppressæ & aurif alieni viribus sub jugum missæ familie ad maturitatem perduxit.

X. Sed hoc minus adhuc est. In gens illa peccatorum copia, quæ ex Avaritia proveniunt, tunc maximè accumulatur, quando omnibus alijs animi affectionibus subservit, ita ut molimina sua impia ac scelestæ perficere valeant. Superbia & Avaritia à Sacris Paginis malorum omnium principium

cipium nominantur. Initium omnis  
 peccati superbia est. Radix omnium  
 malorum est cupiditas. Utrumque  
 verissimum est, ait S. Thomas, sed  
 ratione diversa: Superbia enim ma-  
 lorum omnium initium est in Inten-  
 tione; Avaritia vero in Executione.  
 Superbia Architecti officio fungitur,  
 qui ædificium designat; Avaritia o-  
 pificum principem agit, qui opus ur-  
 ger, materiam parat, & ad eum mo-  
 dum, quem Architectus notavit, ædi-  
 ficium construit. Et revera quod  
 uspiam peccati genus est, ad quod  
 pecuniae non possint concurrere?  
 Pecunia obediunt omnia, dicebat Sa-  
 piens; & ideo, si intuitu cuiuscunque  
 boni temporalis homo inducitur ad  
 tergum Deo obvertendum, minimè  
 oblecurum est, partem aliquam eo in-  
 scelere pecuniam habere, vel tanquam  
 finem, qui ad illud inducat: vel tan-  
 quam instrumentum, quo finis faci-  
 lius obtineatur. Illa ipsa peccata, quæ  
 contra Deum recte tendunt, cum pe-  
 nitius introspereris, videbitis ferè  
 omnia ex habendi Cupiditate origi-  
 nem suam sortiti. Lusor ille nefarius  
 tam impias ore suo blasphemias evo-  
 mit, ut ore vel infernali magis  
 abominabiles prodire non possent.  
 Quis autem linguam hanc scelestissi-  
 mam alius inflamatignis, quam de-  
 fiderium lucri, quo accenditur, aut  
 jacturæ impatientia, quam nequie  
 concoquere? Unde perjuria illa in  
 contractibus tam prompta nascuntur,  
 illa falsa testimonia coram tribunali-  
 bus, superstitiones, sacrilegia & alia  
 infinita sceleræ & inaudita? Qui ve-  
 ram originem scrutatus fuerit, non ni-  
 si ex sordido hoc fonte Avaritiae scatu-  
 rire deprehenderet. Avaro nihil est Eccl. 10:  
 scelerius. Quam nata sunt homici-  
 dia, quæ Avaritia aut non imperet,  
 aut non propriâ manu exequatur? Id  
 quod etiam de inimicitijs dixerim, de  
 pertinacibus odijs, de calumnijs &  
 contumeliis, quæ omnia pessima hu-  
 jus Matris fæcias sunt infelicissimi. Et  
 si immunditia venenoso quodam tor-  
 rente omnem pœnè Christianum Or-  
 bem inundat, nemo non videt inun-  
 dationem istam Avaritiae recte tribui,  
 ut quæ aggeres omnes rumpat, &  
 pecuniis repagula perfriagat, quibus  
 castitas hactenus tuta persistebat. Imò,  
 quod omnium maximè mihi dolet,  
 mala filiorum educatio (principia  
 malorum quorumvis origo) magnam  
 partem, si non omnem, uni Avaritiae  
 debetur. Non ignorat Mater illa,  
 quanto cum periculo discurrat, ac va-  
 getur filia: sed maledictâ illâ, Ma-  
 trizionio illam illigandi spe exce-  
 cata, omnia, quæ videt, videre se dis-  
 simulat. Pater ille, ut negotiis suis  
 vacet, familie curam seponit, ac fi-  
 liis quidvis agendi licentiam permit-  
 tit; et licet posset uni alterive filio  
 suo traditâ uxore plagam Libidinis  
 curare, quæ putri fetore viciniam  
 & domum inficit, pensi tamen id  
 non habet, quia proprij emolumen-  
 tistudium id non permittit, ut cu-  
 rando vulneri pretiosum Balsamum  
 comparetur. Respondent, è re fa-  
 milie non esse, illam in plures par-  
 tiri. Quod si Filij interim pereant,  
 penes iplos culpam residere. Filiam

A a a

quo-

R. P. Segneri Christ. Instr. Tom. I.

DISCURSUS VIGESIMUS SEXTUS.

370  
quoque, si etate tenera marito seni, deformi & deliro, diviti tamen, despontetur, & hac occasione peccandi ansam arripiat, sibi imputare debere. Hæreditatem, quæ speratur, omnibus adulterijs horrorem adimere, quæ ex conjugio magis licito, quam utili subnati possunt. Felix dici posse omne conjugium, cuius Pronubum agat proprium commodum, cum marsuplo, numerato ære pleno. Neque hic finis malorum, quorum avarus Pater causa est. Filium totis viribus ad Sacros Ordines adigit, qui tam ad tremendum Sacrificium offrendum ineptus est, ut ne alteri quidem facienti servite aptus sit. Quin & Ecclesijs accuris parochialibus admoventur, qui ad devorandum, non ad pascendum gregem idonei noscuntur. O radix Avaritiae maledicuntur.

*Hom. 20. de Avarit. 20.* Etta ! Quis fructus pestilentissimos numeret, quos producis ? Nihil est malorum, quod non cupiditas aut concipiatur, aut parturiatur, aut nutritur : exclamat S. Valerianus. Uno verbo : si Christiani Christiani non sunt, aut tales non apparent, non nisi in habendi studium culpam conjicere, & non errabitis. Si à Spiritu Evangelij remoti sunt ac alieni, in fundendis ad Deum precibus remissi, in audiendo verbo Dei negligentes, in frequentandis SS. Sacramentis tepidi, certò certius aliam hujus socordiæ causam non reperiatis, quam adhæsanem illam, quâ rebus temporalibus nimium agglutinantur, quarum incrementum, ultimum suum statuunt : unde fit, ut quem-

admodum terra illa, quæ producendo auto occupatur, cetera iteris est, ita animæ, quæ in accumulandis opibus distincentur, ineptæ evadant ad illa majora bona procuranda, quæ vitæ futuræ proficia perseverent.

XI. Notum : sed planè horrificum SS. Canonum effictum est, quod olim Sacerdotes aurei in ligneis calicibus consecraverint, modò autem in calicibus aureis consecrarent lignæ Sacerdotes. An igitur malè mos in-fer, d. 10, valuit, quo Ecclesijs magnâ copiâ, usq[ue] pecunia donantur ? Imò quæ res ma. in quâ gis reddit gloriósos Constantinos, Carolos, Pipinos &c. quam isthæ liberalitas ? Malum omnino est, quod dicebam, cùm ex auro nascitur Avaritia, cùmque hæc finem habet pro medio & medium pro fine, aurum in toxicum convertit, quod in antidotum, salutis fuit oblatum. Opes in Ecclesia receptæ sunt ad protegendum, ac propagandum Dei cultum : Avaritia è diverso ed multos adegit, ut ex cultu Divino quæstum facerent. Simonæ nimium quantum frequenter, ac ingeniosè excogitatæ id palam faciunt ; ut etiam luxus, quem auctoritatis gradui debitæ servandæ titulo bellè palliant. Unde dixit Ecclesiasticus, quod aurum Sacrificantiibus si sibi non caveant, offendiculo sit, Signum offensionis est aurum Sacrifican- Eel. 31<sup>1</sup> tium, Va illis qui sectantur illud ! nec illis tantum exitium comminatus est, qui sectantur illud, sed ijs etiam, qui in eo fugiendo minus cauti sunt. Et omnis imprudens peribit in illo. Appa- ret

*Matth. 6, 24.* *et revera, ealem iadolis ac naturæ di-  
vercitatem Amorem Dei inter, & A-  
morem nummorum intercedere, quæ  
omnem reconciliationis spem è me-  
dio tollat. Non potestis Deo servire &  
Mammone: siquidem appetitus ha-  
bendi (omnem aliarum affectionum  
vehementissima) paulatim ita homi-  
nis Christiani animum ad malum di-  
spicit, ut denique ad omne genus  
scleris, quo divitias ceu finem suum  
assequatur, faciat expeditum. *A-  
varitia in capite omnium.* Hoc est  
primum illud mobile, quod omnes  
alias affectiones, ceu spheras in-  
feriores secum in gyrum capit.*

III.

XII. Modò saltem, quemadmo-  
dum profunda ac fœcunda Avaritia  
radix est, non esset tam tenaciter af-  
fixa cordi, indeque tam difficulter  
evelienda. Sed, quod pejus est, & in vi-  
tio hoc detestabile, curatu est difficil-  
limum; quæ difficultas ex duabus illis  
qualitatibus, quas hactenus observavi-  
mus, profunditate nimirum, ac fœcun-  
ditate, oritur. In primis enim qua ra-  
tione curabitur malum, quod ipsa  
sua profunditate occultum est? Ava-  
ritia, ut vidimus, paliolo Pruden-  
tia se abscondit, aut Parimonie, in  
futurum se extendens: quam igitur  
spem sanationis faciat? Imò non de-  
crescit, sed augetur cum annis malum,  
& quo plus acquirit, plus crescit. Pro-  
digus, ait S. Thomas, facile cum tem-  
pore persanatur, aut quia ad inopiam  
redigitur, aut quia senio aggreditur.  
Avarus contrâcùm lucra procedunt,  
rapacior evadit, ad modum fluminis,

*S. Th. 2.*  
*2. q. 119.*  
*m. 6.*

quod, quo aquatum plus devolvit,  
tantò ripis, ut alveum dilater, est in-  
festius. Quò annis sit gravior, eò sit  
animo sagacior, & mille modos, qui-  
bus Summam augeat, adinvenit. Py-  
ramidis instar, quæ quantum crescit  
alitudine, tantùm acumine & subtil-  
itate. Præterea sicut radices cum  
annis magis semper ac magis terram  
pervadunt, ita avari annorum acce-  
su magis ac magis se occultant, cre-  
scente semper titulo providæ in futu-  
ras necessitates sagacitatis, quo cupi-  
ditatem suam obtegunt. Utpote cum  
ex una parte crescente annorum nu-  
mero crescat etiam infirmitas & vele-  
tudinis incommoda, ex altera minua-  
tur, plura congerendi facultas. Et *2. q. 118.*  
hinc, ut S. Thomas annotavit, Ava-  
ritia, cùm sit malum tam reconditum,  
sit omnino insanabile.

XIII. Simile quid dici debet ex al-  
tero capite, quod Avaritia non pro-  
funda tantum sed & fœcunda sit, spe-  
ctando multa peccata, quæ per illam  
committuntur, dum pecunia aut ut finis,  
aut ut instrumentum attenditur.  
Quæ spes concipi potest remedij sce-  
leribus his inveniendi, si alimenta,  
quibus ea nutrituntur, indies magis ac  
magis adjiciuntur? Afferunt Medici,  
Vulnera hydropticorum esse incurabili-  
lia, cùm tota ferme plagarum curatio  
in earundem exsiccatione consistat,  
quæ in corpore malis humoribus re-  
ferto sperati non potest. Plusadhus  
de peccatis Opulentorum propriis di-  
cam. Quomodo cicatricem obdu-  
ceris plagiæ Superbiæ, Ambitionis,  
Vindictæ, Crudelitatis in pauperes,

Aaa 2.

Libri

## DISCURSUS VIGESIMUS SEXTUS.

372

Libidinis, Dissolutionis, Gulæ? Impossibile id mihi videtur, cum hujusmodi plagiis reparandis superfluum illud multatum facultatum alimento subtrahi deberet, quod illi tamen novis semper accessionibus augere contendunt. Aque nuerierunt illum, abyssus exaltavit illum. Superabundans Hydrocici istius humor omne genus scelerum foveret; & abyssus illa insatialis Cupiditatis modum suppeditat, quo quasi cum honore & gloria peccet.

XIV. Hæc ipsa perniciosa habitudo, quæ Avarum ob morbi sui difficultatem reddit incurabilem, ex eo etiam capite reddit insanabilem, quod Medicum aut non admittat, aut admisso non obediat. Hujusmodi ægrotus infinitis opus haberet horrationibus, quibus ad rerum cœlestium desiderium, & terrenarum contempnum inflammaretur. Hic tamen, qui negotiationibus implicitus, & rei augendæ intentus est, nunquam suppetere sibi tempus arbitratur, quo cum alijs audiendo verbo Dei intereat; imò cum interest, illud non audit. Si hoc ipso tempore, quo ad vos è pulpito declamo, magnus quis tumultus excitaretur in Ecclesia, declamantem me non percipiet, sermoni interesseret, sermocinantem non intelligeretis. Ita animabus istis accidit, quæ negotijs terrenis sunt immersæ; etiam cum concioni assistunt, tantus cogitationum, ac solicitudinum strepitus earundem cor obsideret, ut etiam cum audiunt, verbum Dei non audiant: *Audientes non audiunt; nisi*

etiam velimus dicere; quod audiant quidem bene, at in animo contra Prædicatorem, ceu nimis simplicem, aut bona illa, quæ ipsi aut non curant, aut non intelligunt, æquò magis extollentem murmurarent. Ita Pharisæi, quia Avari erant, pro eo, quod verbis Christi moverentur, eum deridebant. *Audiebant autem omnia Lut. 16. 4. hac Pharsæi, qui erant Avari, & deridebant illum.*

XV. Propterea solijam Confessario maledicta hæc radix evelenda relinquunt. Sed animo studiose Avari eos inquirunt Confessarios & Animi Medicos, qui eos non turbent, aut illis religionem incutiant; imò non alii se credunt, nisi qui pulvilos eorum humeris supponunt, ut eò suavius suis malis indormiscant. Quod si præter opinionem in Medicum prudentem incident, qui quietem ad eò noxiām disturberet, & absolucionem se negaturum comminetur, si somnum istum suum non illico excutiant; & interim Eieemosynas in Avaritiaz remedium & aliorum Icelerum expiationem præscribat, mox omnino ab exhomologeterio discidunt, Confessarium, ut officij nec scium, minimèque benignum accusant, nec unquam amplius ad eundem revertuntur; quemadmodum Juvenis quidam Princeps fecit, qui, cùm Lut. 16. à Christo audisset, omnia sua sibi relinquenda & donanda pauperibus, si thelaurum in cælo velleret, ut opibus suis magis estimabilem, abiit tristis, & porro non rediit, quidquam interrogatus; non quod alioquin non esset

Ezech.  
21,

*Esse ad virtutem propensus, ut qui à  
juventute sua omnia decem Dei pre-  
ceptra sedulus observaverit: Omnia hac  
custodiri à juventute mea: sed lo-  
lum quodd effet dives, & pingue patri-  
monium obtineret: abuterris: erat  
enim habens multas possessiones. Ex  
quo ipso argumentum lumine, quæ  
salutis spes illis remaneat, qui affectum  
hunc sibi imperare permittunt eò us-  
que, ut etiam modis non licitis ditarí  
velint? Si de quoquaque divite, non  
sunt tantum industria facto, sed in di-  
vitij etiam nato, tantus est timor  
conciendus; mihi certè tam facile  
non foret, ipsum fovere, cùm ipse Do-  
minus afferat: Quād difficile, qui pe-  
cunias hacent, in regnum Dei intrat-  
cunt! quād difficulter illi salutis fa-  
ent compotes, qui multa possident, &  
ipso à bonis suis multis possidentur!  
Protecto Dei manu & efficaci illius  
Gratiā opus est, quæ sicut caeleste  
quoddam oleum holice in Polypos ef-  
fusum, eos à dilecto sibi scopulo di-  
vellat; alia ratione verba hominum  
erunt sine virtibus; non privatim,  
non publicā hottando, non protestan-  
do quidquam proficeret, remeditis  
omnibus in irritum cadentibus: Qui  
aurum diligit, non justificabitur: A-  
phorismus est Medici, qui non fallit.  
Fures reperti sunt, qui cùm veniā  
priorum criminum factā è carceribus  
dimisi essent, mox ad genium redie-  
rant, soletius, quād antea unquam,  
furantes. Quin imò eadem expe-  
riencia etiam docuit, quodd post vir-  
garum publicum supplicium, post  
collum ferro insertum & infamia*

publicā castigatum, post proscriptio-  
nem è patria, post annos complures in  
transitis exactos, denuo tamen furarē  
perrexerint; ut adeò manifestum sit,  
quod si etiam è furca pependissent,  
ad vitam subinde revocati, etiam à  
furca & quasi cum fune in collo ad  
furta quoque fuisse reddituri. Usque  
adeò pessima hæc radix in corde falsis  
bonis fascinata, firmas radices agit,  
nec quidquam pensi habet, dum ali-  
quid denuo rapere liceat, Appre- terem.  
henderunt mendacium, & noluerunt 8. 6.  
reverti.

XVI. Estne quis vestrum, qui ra-  
tionem reddere posset, cur S. Paulus  
Apostolus, Avaritiam, Idololatriam in-  
digitat? Idolorum servitus. An quia  
Avarus Idolatria similis est, eidem  
materiæ cultum ac venerationem ex-  
hibendo, geminis nimicū illis me-  
tallis, quæ majori in pretio habentur?  
Argentum suum & aurum suum fece-  
runt sibi idola, ut interirent, aut quia  
facultates suas primo loco habet,  
quas ut conservet & augeat, sis affecti-  
bus ut prosequitur, quos solidi cultus  
impendere deberet? Commutave-  
runt veritatem Dei in mendacium, &  
coluerunt. Ita mihi persuadeo, nam  
si rem momentis suis libramus, tribus  
potissimum actionibus peculiariter  
demonstramus, quod Deum nostrum  
ac Dominum agnoscamus: nimis rura  
Fide, omnis ab ipso beatitatis Spe, &  
Amore supra omne bonum possibile.  
Jam Avari Sectam velut aliquam &  
ipsi constituunt, sacrilegam planè &  
implam: hanc in primis ipsi produc-  
tive, quam habent nefariā; dum  
Aaa 3 plus

Marc.  
20. 23.

Eccles.  
31. 5.

Luc. 18.  
18.

plus credunt opibus suis, quam Deo, non dubitantes, quin si Deo servierint multa confessim defutura sint; cum nullius rei inopiam metuant, dummodo attendant strenue ad rem faciendam augendamque. Eandem sectam spes manifestat, quam magis in divitiis suis, quam auxilio divino fundant; unde sibi ipsis sufficere videntur, nihil à Deo se accepisse arbitrantes; haud aliter, ac si Dei providentia nullam in rebus humanis administrandis partem haberet. Denique apertum ejus sectæ indicium præbet infernalis quidam Amor, quo ardent ad augenda sua lucra, ea tanquam bonum supremum, supercæste, ac quod contineat omne bonum, diligendo, parati pro quounque opum suorum augmentatione divinae amicitiae renunciare. Ita est, negari non potest, ex omnibus hisce capitibus Avarus omnino justissimè Idololatriæ titulo compellatur. Ego autem insuper existimo, quod hunc ipsum titulum mereatur ob singularem illam difficultatem, quam in corrigendo hoc vitio Avarus experitur, ita ut tantæ operæ res sit, hominem lucris intentum reducere ad semitam salutis, ac eum, qui Idola hactenus coluit, ad veram Religionem amplectendam inducere. Miraculis opus est, non aliter, quam si primò fides animo ejusmodi hominis esset inferenda,

XVII. Euclio quidam admodum *Coll. v.* opulentus, cum opes magnas colle-  
*Avaris.* gisset, id agebat unicè, ut suis illas suis reservaret, de aliena inopia sublevanda nihil penitus solicitus. Hunc

nescio quod symptoma nihil minus opinantem oppressit, extinxitque. Movit tam repentina mors agnatos hominis, ut corpus demortui secari juberent, ad causam mali tam subitanæ investigandam. Jamque aperto corpore scrutabantur viscera, cum magna admiratione percusi cor deesse animadverunt. Cum tamen neminem fugiat, cor velut primum lapidem esse, quem natura fundanda hominis fabricæ soleat ponere, & quæ admodum hoc primum est, quod vivit, ita solet esse ultimum, quod emoritur. Sed quidquid sit, cor tunc inter viscera reperium non est. Paulò tamen post, cum arcum ære gravem aperirent, ad opes relietas inter hærides dividendas, ecce cor humanum inter Draconis horridi ungues, qui illud non uno loco lacerabat, conficiantur. Attoniti tetro gradum ferunt; cum audiunt, Draconem humana voce loquentem: Hoc aurum inquit, & hoc argentum est primum illud, quo Amicus iste meus cor suum mihi vendidit, unde ego, tanquam ejus Dominus, de illo quod luber statuere, & eo frui possim. Ecce Opum Idololatram! qui pecunias super omnia amando ibi cor suum habebat, ubi thesaurum habuit: *Ubi* thesaurus uester est, *ibi* & cor uestrum erit: & ne inde avellereetur, non horruit in prædam illud cedere Diabolo, cum tanto rectius illud Deo consecrare potuisset. Sed ita fieri amat. Avarus etiam in hoc Idololatram vult æmulari, quod animæ rationem, æquæ ac ille, non habeat.

*Hic,*

## DE TURPITUDINE AVARITIAE.

375

*Hic, ait de illo Ecclesiasticus. & animam suam venalem habet, quantum in vita sua projectit intima sua.*

*XVIII. Quis igitur non timebit inimicum hunc potentissimum? Vide-*  
*te & cavete ab omni avaritia: verba*  
Luc. 12. 19. *Christi sunt apud S. Lucam. Serio aperite oculos, nolite vobis ipsis imponere. Non est Prudentia, non Providentia illa, quae Animæ vos vestræ facit oblivisci, & finis, ad finem à Deo conditi estis: Passio quedam cæca est, quæ cor vestrum occupat, & rotum eodem momento animum offuscat, ut damnum illud non advertatis, quod vobis imminet, immensum & irreparabile. Docet quomodo ditescatis; interim vera vobis simul bona eripit; aut ad perpetranda scelera vos impellando, quæ nisi consultrice Avaritiae perpetrassetis nunquam; aut ab actionibus piis vos abstrahendo, ab ergo andis inquam eleemosynis, solitis devotionibus Sacris Concionibus, pio SS. Mysteriorum usu, alisque medijs efficacissimis, quibus non magno negotio æternam salutem possetis consequi. Primum itaque avaritiae malum est, videre non vele, juxta illud, quod jam diximus: *Qui querit locupletari, avertit oculum suum.* Primum igitur etiam remedium esto, vele videre. *Videte.**

*XIX. Videte igitur, attollite, Diléctissimi, tantisper oculos, neque in hanc infelicem terram illos ita contumaciter desigite, perinde ac si ex talparum etiam vos essetis genere, quæ ex Cæli aspectu mortem timent. Dei*

*filiij estis, Hæredes cæli, cohæredes JESU Christi, atque ideo neque terram, neque quidquid bonorum terram sapit, adorare debetis sed gene-*  
Clem. *Alex.*  
*calcare, non adorare: vox sit omnium vis. ad*  
*Christianorum excelsam suam digni Gent.*  
*tatem ante oculos habentium. Ferre*  
*non possunt Venatores, quod Ele-*  
*phanti dentes suos ebumeos & can-*  
*didos in eruenda ex sordibus esca,*  
*immundorum instar animalium, con-*  
*sumant. Quis igitur ferat, Christia-*  
Pier. 1. *norum Gentem nobilissimos & Dei*  
z. Hie-  
regi. *capaces animos sordidis & luceis hisce*  
*bonis implere, quales sunt pecuniae?*  
*Relinquamus ista his, qui non cre-*  
*dunt.*

*XX. Videte & cavete ab omni ava-*  
*ritia. Deus jubet, ut ab amore pe-*  
*cuniarum vobis attendatis; Cavete:*  
*vos autem contra existimatis, solum*  
*illum Beatum esse, & qui magis illas*  
*amat, & pluribus abundat. Quis*  
*propter duorum fallitur in ferendo ju-*  
*dicio? Deus, an vos? Aut Christus*  
*fallitur, aut Mundus errat. Discite*  
*tandem accedere veritati, & veram*  
*in vobis fidem excitare: Non illos*  
*tantum in Beatorum numero reponi-*  
*te, qui bonis temporalibus abundant;*  
*Beatum dixerunt populum, cuius hæc sunt,*  
Pf. 14.8. *Sed illos potius in Beatorum catalogo*  
25. *reponite, qui illa quibusvis alijs vo-*  
*lentibus relinquunt: Beatus qui post*  
*aurum non abiit. Hoc autem in pri-*  
Ecclesi-  
*mis cordi habere, quando eum filii*  
32. 8. *vestris ætate teneris sermones misce-*  
*tis, ne illis vestra hæc principia ita*  
*insculpatis, ut ea non nisi cum vita*  
depo-

deponant. Sed pro eo, quod bonorum caducorum estimationem ingenieris, cum Seniore Tobia dicite: *Pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum.* In presentiarum, ô mei filij, opes magnas non possidemus, sed timere Deum, ei obedire, illum colite, Animæ vestræ salutem inter primas curas, atque ante alias omnes tenete, nec dubitate ullatenus: Deus vobis providebit, ut in hac vita, quæ brevi finem habebit, suppetant necessaria; in altera, quæ finem habitura non est, immensis vos bonis ac divitiis atque etiam horroribus cumulabit.

XXI. *Cavete ab omni Avaritia,* tanquam ab hoste jurato: ab omni: ab illa, quæ aliena appetit; ab illa etiam, quæ nimium propria amat; ab exteriore, ab interiore; ab illa, quæ secunda est, & in opus prodit, ab illa, quæ solo in affectu sistit: ab illa, quæ Justitiae adversatur, ab illa, quæ cum Liberalitate pugnat: ab omni: & mementote, quod S. Paulus Avaros unam cum furibus Cælo excludat: *Neque Fures, neque Rapaces, neque Avari, Regnum Dei possidebunt.* Nimis difficulter anima ad Deum redit, ubi a sum aliquando cupidè sectari cœperit. Gemini Pharaones potenti à Deo brachio sunt percussi; alter, qui instigante libidine Abrahamo uxorem rapuit; alter, qui lucri causâ populum Istræticum oneribus oppressit, Ecce Iprimum vix attigit flagellum Dei, cùm illico ad mentem redit, & mulierem ereptam restituit; alter sibi istibus magis animum obfirmavit, instar

*2. Cor:  
6. 10.*

bufonis, &c non destitit populum Istræticum persequi, donec ipsa in persecutione, præceris crudeli, vitam in Mari suo Rubro ponderet. Ex quo aperte intelligimus, quantum nobis ab Avaritia timere ac cavere debeamus; etenim si in corde nostro radices egerit, illudque possederit, reddet illud incorrigibile ac insensibile: ac insensibile quidem ad Dei beneficia, incorrigibile autem ad omnem correctionem.

XXII. Sed, qua ratione discernam, inquiet non nemo, an in corde meo Avaritiam tam damnosam aliam, an potius curam ac debitam solitudinem, quâ, ut capiti, familie necessitatibus prospiciendum est? Non est hoc difficile, ait S. Augustinus: *Habes, & concupisces: plenus es, & sis;* de Ver. morbus est. Quomodo sitis natura-<sup>80m. 5.</sup> lis hominis sani, & sitis maligna Hydro-<sup>Dom.</sup> pici dignoscuntur? Sitis naturalis congruo haustu extinguitur; malingna magis accenditur. Si bonis statu xistro competentibus & statu ipso contenti estis; si Deum rogatis, ne divitias & paupertatem vobis immitiat, sed congruam sustentationem largiatur; si moderata quædam messem vobis sufficit, proque ea debitas Deo gratias refertis, certi, quod si copiosior vobis proderet, copiosiore largitus fuisset: sitis est hominis sani, quia exsaturatur. At si vestra forte non contenti semper altius ascendere, & conditionem vestram extollere concupiscitis; si semper messem copiosorem, & horrea vestra plena

plena, & post messem annonæ caritatem optatis, ut, quæ collegistis, magno prelio dividere liceat ; si nulla vos tangat Pauperum miseratio, sed summo erga eos jure utamini, quin unquam satis eorum sanguine repleamini ; ite, præstantem Medicum requirite ; qui vobis medeat, male enim, immo pessime animo etis affecti. Sitis vestra sitis Avaritiae est, hoc est Hydropici : *Avarus non implebitur pecunia.* Et sitis hec non extinguitur affundendo, sed diminuendo : non affundendo opes, sed diminuendo cupiditatem. Eleemosynis erogandis vos date secundum conditionem & statum vestrum, & illa bona amate discere, quæ verè bona sunt, & bonum faciunt habentem, & tolli nunquam possunt. Oryx sylvestris quædam Africæ Bestia est, quæ nunquam non sicut ; & tamen intra sua viscera ralem liquorum habet, qui omnem frim valeat extinguere. Ita se habent Avari : Bestiae sunt, quia nec ratione utuntur, nec fide. Et bestiae sylvestres sunt, quia inimici totius generis humani ; dum desiderant, ut omnes alij ad Incitas & paupertatem redigantur, ipsi verò soli ditescant : perpetuâ sit flagrant, semper magis ac magis opes accumulandi, cum ramen intra se habeant, quo expleant-

tur, si velint, non modò ipsi, sed alij quoque, si, quæ congregârunt, beneficè distribuant, & sic possessionum augendarum cupiditatem, quâtorquentur, tamisper moderentur.

XXIII. *Videte & cavete ; ab omni avaritia :* Doctrina hæc Christi est, vos eam exequamini. Ad quem effectum hæc vobis serviat cōmonitio, quacum etiam vos dimitto : Multum DEO fidite : præcipua avaritiae causa est, maximè in infima plebe, Timor, ne ipsis deficiant necessaria. Non ita sunt mores sine avaritia, ait Apostolus, contenti presentibus. *Ipse enim dixit Heb. non te deseram, neque derelinquam.* 13. 5. Ut vestri mores avari non sint, sufficiat hoc, quod in præsentiarum vobis Deus largitur, junctum cum fide ac fiducia subsidij in futurum. An igitur timendum vobis est, ne DEUS vos derelinquit ? Non, non, non erit possibile : non deseret, neque derelinquet : non deseret per Providentiam illam suam generalem, quam gerit erga omnes homines. Non derelinquet per Providentiam specialem, qua illos magis sovet, qui in se confidunt. Et quid ultra peritis ? Super terram præsentibus contenti esto : cùm ad futura desideria via extenditis, cælum suspirate.

